

reliquorū membrorū. Galenus subinde, quāquam dixisset remedia simplicia dissimiliū esse partiū, non tamen omnia omninò, sed ferè omnia dissimilaria esse phibuit. Et apertè mixta duplicia statuit: dissimilaria, quæ diuersas qualitates in diuersis obtineant partibus: & similiaria vel simplicia, in eorū, quæ multum dissident, alteratione constituta. Per hæc intelligens verè mixta, quæ, secundum Aristotelem, ex alteratione miscibiliū sunt vnita. Per illa verò improprie mixta, verèq; composita, quandoquidem diuersæ partes, compositum & dissimilare producūt. Ait præterea Galenus, quæ verè sunt similiaria, & dissimilarium partes componentes, vnā dūtaxat qualitatem eniti. Nimirum de hoc similari iam quæstio est, an in partes diuersas eas resolui possit, quarum singulis, proprijs facultatum munijs sit prouisum. Galenus quidem id negare videtur, vt paulò antè diximus. Ratio itidem repugnare, quandoquidem, si nullæ sint partes diuersæ, in nullas diuidi potest: si que haud illi sint vel diuersi vel contrarij, quos enitur, effectus, nullas quo-

4. simpl.  
Cap. 15.

1. de ortu  
l. 90.

3. simpl.  
cap. 16.